

operationes a sensibus independentes, quod huic vitæ mortali non convenit pro tota vita, vel longo tempore, vel ipse appetitus sensitivus alligetur ne contra rationem insurgat. Quare non negamus quod in aliqua determinata materia possint per gratiam ordinariam, et specialia auxilia vitari omnia peccata venialia talis materiæ, verbi gratia in furto, aut in mendacio parvitas materiæ, etc. Imo Curiel existimat omnia venialia quæ ex deliberatione fiunt posse ordinariis gratiæ auxiliis vitari, id est, sine ullo speciali privilegio: ad vitandum autem omnia peccata venialia simpliciter, id est, tam ex deliberatione, quam sine illa, necessarium esse specialissimum privilegium, id est, ligatio fomitis.

XIII. Dico ergo resolutorie, quod ad vitandum omnia peccata venialia, etiam ex subreptione, requiritur auxilium gratiæ impediens ne insurgat aliquis motus in appetitu sensitivo contra rationem, quod est alligare fomitem; ad vitandum autem omnia peccata venialia ex deliberatione provenientia requiritur auxilium præveniens rationem ne deliberet in materia etiam levi contra, vel præter regulam rationis: auxilium autem sufficiens datur ad evitandum singula peccata divisive, et hoc omni homini datur, alioquin non peccaret in quolibet peccato veniali divisive, si ad illud evitandum non haberet sufficiens auxilium. Quia ergo in Beatissima Virgine fuit ligatus fomes, vel etiam extinctus, ut cum D. Thoma III part. quæst. XXVII, art. III, docent theologi, quia vel ex divina providentia fiebat ne insurgeret aliquis motus appetitus inferioris contra rationem, quod est fomitem esse ligatum, vel ex dono gratiæ per modum justitiæ originalis appetitus manebat omnino subiectus rationi, quod est fomitem es-

se extinctum, id est, manere appetitum sicut in statu innocentiae, quod D. Thomas intelligit factum fuisse in Virgine, postquam Christum concepit, licet ab initio fuerit ligatus, ideo in ipsa nullum fuit peccatum veniale; et juxta principia D. Thomæ dicendum est, quod nec potuit esse post extinctum fomitem, quia ut docet 1-2, quæst. LXXXIX, artic. III, homo in statu innocentiae non poterat peccare venialiter, gratia autem Beatissimæ Virginis fuit sicut status innocentiae fomite sublatum.

XIV. Contra istam conclusionem non sunt argumenta alicujus momenti, nec roboris, nisi ea quæ sæpius soluta sunt, quomodo scilicet homo sit liber, et obligatus ad evitandum omnia peccata venialia, si hoc est impossibile. Dicitur enim, et respondetur, quod est liber, et obligatus ad evitandum omnia divisive, non collective, nec enim datur præceptum respiciens omnia collective, sicut nec votum evitandi omnia collective validum est, sed solum quia datur obligatio evitandi singula potest homo evitare omnia, non solum dicit evitacionem omnium secundum se, et seorsum, sed secundum continuationem evitandi unum post aliud, vel multa simul quæ insurgunt, et ista continuatio habet specialissimam difficultatem, quæ communibus auxiliis non potest superari, quare deest moralis potentia, quæ consistit in continua applicatione boni honesti, et finis ad evitandum omnem deliberationem, etiam in materiis levissimis contra rationem, et in continua protectione partis sensitivæ, ne insurgat contra rationem, etiam ante omnem deliberationem, nec tamen illa physica potentia evitandi omnia peccata venialia collective est frustranea, licet non reducatur totaliter ad actum; non enim oportet quod

reducatur ad actum simpliciter, sed sufficit quod reducatur secundum aliquid sui; reducitur autem dum singula divisive evitantur, vel evitari possunt.

XV. Nec valet dicere, si de facto evitarentur omnia divisive, evitarentur omnia simpliciter; ergo si potest evitare omnia divisive, potest evitare omnia simpliciter. Respondetur enim, quod in antecedenti in illa particula de facto involvitur non solum evitatio omnium secundum se, et seorsum, sed etiam secundum continuationem, atque adeo collective, si quidem de facto ponuntur omnia; in consequenti vero non ponitur illa continuatio, sed solum potestas ad evitandum singula secundum se; unde concedendum est in consequenti, quod potest evitare omnia simpliciter potentia antecedenti, non potentia consequenti, quæ scilicet est conjuncta cum actu complectente omnia collective.

SEQUITUR EXPLICATIO LITTERÆ D. THOMÆ.

XVI. In articulo nono inquit D. Thomas utrum ille qui jam est consecutus gratiam per se ipsum possit operari bonum, et evitare peccatum absque auxilio gratiæ. Respondet duplici conclusione. Prima conclusio: Præter gratiam justificantem non indiget homo alio dono habituali ad ista omnia. Secunda conclusio: Homo justificatus indiget auxilio Dei movente præter gratiam justificantem ad ista exequenda.

XVII. In articulo decimo inquit D. Thomas, utrum homo in gratia constitutus indigeat auxilio gratiæ ad perseverandum. Respondet duplici conclusione. Prima conclusio: Si perseverantia sumatur pro habitu inclinante ad perseverandum, quæ est virtus perseverantiæ non indi-

get homo justificatus nova perseverantia præter gratiam infusam. Secunda conclusio: Si perseverantia sumatur pro actuali continuatione, qua homo perseverat usque in finem, indiget præter habitum gratiæ auxilio dirigente, et protegente, quod est donum perseverantiæ.

## DISPUTATIO XXI.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD OPERANDUM IN HOMINE JUSTIFICATO

### ARTICULUS I.

*Utrum homo justificatus indigeat speciali gratia, sicut et non justificatus ad bene operandum, et evitandum peccata?*

I. Bene operari potest hic dupliciter intelligi, vel bene moraliter secundum rectam rationem, vel bene meritorie secundum motionem charitatis, et informationem gratiæ, et utroque modo inquirimus hic, an homo justificatus indigeat speciali gratia ad bene operandum: in qua difficultate tria sunt certa, et in duobus est difficultas. Primo est certum, quod quidquid conceditur homini lapso, vel in naturalibus constituto, debet concedi homini justificato; neque enim per gratiam deterioratur, sed perficitur natura; unde sicut diximus disputatione præcedenti quod homo lapsus potest aliqua bona opera facere, et leviores tentationes vincere, ita et justificatus: secundo certum est, quod posita gratia habituali magis connaturale est, quod Deus tribuat specialia auxilia, et supernaturalia quam

existenti in peccato, quia peccator est indignus talibus auxiliis, quæ indignitate caret justus, et ita redditur aptior ad suscipienda ista auxilia: tertio certum est, quod cum inter ipsa auxilia supernaturalia quædam sint extraordinaria, et quasi miraculosa, sicut conversio Pauli, quædam generalia, et ordinaria, certum est quod respectu auxilii supernaturalis extraordinarii specialis gratia Dei datur, quia istud auxilium etiam illi statui supernaturali est indebitum, utpote extraordinarium.

II. Restat ergo difficultas in duobus. Primum est, an respectu illorum operum naturalium ad quæ homo lapsus indiget speciali gratia ad vincendas graves tentationes, et implendam totam legem, ille qui per gratiam reparatus est etiam speciali gratia indigeat: secundum, an supposito statu naturali, et gratia justificante sit connaturale, et debitum auxilium ordinis supernaturalis, etiam non extraordinarium; an vero etiam illo statu supposito specialis gratia sit quodcumque auxilium supernaturale.

III. Circa primum ratio dubitandi oritur ex disputatione præcedenti. Ideo enim diximus hominem lapsum indigere speciali auxilio ad talia opera, quia sunt opera hominis sani, et consequenter ab homine infirmo fieri non possunt sine speciali auxilio, præsertim quia infirmitas illa consistit in hoc quod homo lapsus caret forma, et principio intrinseco operandi bonum; caret enim fine, quo movetur voluntas, unde redditur illi indebitum auxilium ad operandum circa dictum finem, vel contra illum qui in homine lapsus prædominatur: at totum hoc non currit in homine justificato, quia est sanatus per gratiam, et conversus ad finem debitum: ergo est illi debitum auxilium ad facien-

dum opus hominis sani, et ad resistendum tentationibus gravibus, quia habet intra se principium, et formam unde possit illis resistere, id est, finem ultimum bonum ad quem est conversus per charitatem.

IV. Neque valet dicere, quod per gratiam habitualement homo solum habitualiter est ordinatus circa finem ultimum, sed non applicatus, nisi detur specialis gratia excitans, quam non habet quando graviter tentatur, quia tunc movetur actu ad oppositam formam ex vi gravis tentationis, et sic habet principium intrinsecum habituale ad resistendum, sed non applicationem debitam. Contra hoc est, quia sequeretur quod neque etiam levi tentationi posset resistere sine speciali auxilio; nam etiam quando adest levis tentatio non excitatur actu in bonum, sed incitatur ad malum; ergo non applicatur finis bonus ad operandum, et consequenter ex defectu applicationis dicitur non habere vires ad resistendum levi tentationi.

V. Nihilominus dicendum est indigere hominem justum speciali auxilio ad vitandas graves tentationes, et ad implendam totam legem, licet verum sit quod hoc speciale auxilium frequentius illi datur, et est magis in promptu propter defectum indignitatis, quæ est in peccatore ut illi tribuatur. Hæc conclusio est communior inter theologos, deduciturque manifeste ex Concilio Arausicano secundo, canone x, ubi dicitur: « Adjutorium Dei etiam sanctis esse implorandum ut ad bonum finem possint pervenire, vel in bono opere perdurare. » Ubi distinguendo pervenire a perdurare, indicavit quod non solum ipsa assecutio finis, sed adimpletio legis, quæ perduratio est in bono opere, sine speciali auxilio fieri non potest, id est, sine illo adjutorio quod aliis

etiam hominibus necessarium est. Et Augustinus libro de correptione et gratia, capite primo: « Necita, inquit, ut cum quisque fuerit a peccati damnatione liberatus jam non indigeat sui liberatoris auxilio, sed ita potius ut ab illo audiens: Sine me nihil potestis facere, dicat et ipse: Adjutor meus esto. » Et videndus est etiam libro de natura et gratia, capite xxvi, ubi citatur a D. Thoma in argumento Sed contra, articulo ix. Denique Tridentinum sessione vi, capite xiii dicit: « Justificatos non posse victores esse, nisi cum Dei gratia, » et capite xv: « Quod a peccatis mortalibus cum Dei adjutorio abstinere possunt: » et canone xxii: « Si quis dixerit justificatum sine speciali Dei auxilio in accepta justitia perseverare posse, anathema sit. » Sed sic est quod qui servat totam legem perseverat in justitia; ergo ad servandum totam legem indiget justificatus speciali auxilio.

VI. Fundamentum sumitur ex D. Thoma hic articulo nono, quia licet homo per gratiam sanetur quantum ad mentem, et partem superiorem, manet tamen quantum ad rebellionem appetitus inferioris, et obscuritatem, seu debilitatem rationis non sanus; sed ad repugnandum tentationibus insurgentibus non sufficit habitus gratiæ justificantis, nisi detur propositio finis boni, et affectio ad ipsum, ex quo movetur voluntas, quia habitus est principium per modum inclinationis effectivæ, sed non per modum rationis finalis volitivæ, nam hæc est bonitas apprehensa, quæ applicatur voluntati, quare quantumcumque gratiam habitualement habeat, si tamen per gratiam excitantem, et adjutantem non applicatur illi ipsa ratio appetendi, quæ est bonitas finis ex qua movetur ad operandum, nullo modo poterit voluntas elicere bonum, sed si insurgant graves tentationes hoc

ipso ligatur, et impeditur iudicium rationis ne consideret bonum oppositum per quod ipsis tentationibus resistat: in hoc enim graves tentationes consistunt, quod impediunt considerationem rationis in bonum; ergo quantumcumque homo habeat habitum sanctificantem ad resistendum gravibus tentationibus, indigebit eodem auxilio, atque ille qui non est justificatus: sed illud auxilium est indebitum, et speciale, eo quod datum ad resistendum formæ in subjecto prædominanti juxta quam deberet operari, scilicet tentationi gravi, quæ proponit, et applicat bonum ad trahendam voluntatem impediendo ne proponatur oppositum; ergo si hoc eodem modo proponitur in justificato, et non justificato, consequenter eodem modo erit indebitum auxilium, et speciale. Unde D. Thomas solum fuit sollicitus ostendere, quod in homine justificato manent origines, et fontes gravium tentationum, scilicet rebellio appetitus inferioris, et debilitas rationis proponentis, nam stantibus tentationibus gravibus semper sequitur requiri auxilium speciale ad resistendum illis, et evitandum peccatum ad quod movet, et consequenter ad implendam totam legem, et opera difficilia facienda, quia hoc non perficitur sine victoria gravium tentationum. Quæ autem requirantur ad superanda tota, et tam difficilia opera supra disputatione præcedenti declaratum est.

VII. Ad rationem dubitandi inter arguendum responsum est. Et ad replicam respondetur esse disparem rationem inter tentationem levem et gravem, quia levis movet cum minori efficacia, et ita relinquit locum ut juxta vires proprias possit considerare oppositum bonum, et ad illud moveri; non enim repugnat duo contraria simul movere idem subjectum remisse. At vero tentatio

gravis est intensa, nec potest repelli nisi alio intenso, et fortiori motu, cum non possit moveri subjectum duobus motibus intensis, sed potius respectu gravis tentationis sit impedita consideratio boni oppositi, unde indiget auxilio speciali, ut consideretur.

VIII. Instabis ex D. Thoma III part. quæst. LXX, articulo III dicente, quod minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, et vitare omne peccatum mortale, et retractat quod aliquando senserat, scilicet quod gratia data per circumcisionem non sufficiebat resistere concupiscentiæ; ergo non requiritur specialis gratia ad resistendum cuicumque tentationi, si quidem minima gratia ad id sufficit. Respondetur D. Thomam loqui de gratia habituali minima, supponendo tamen, vel non excludendo auxilium actuale speciale, sine quo nec minima, nec maxima gratia habitualis posset resistere omni tentationi. Et hoc patet ex ratione subijuncta a D. Thoma, quia minima charitas diligit Deum plusquam cupiditas auri et argenti: ergo loquitur de charitate actu diligente, quæ supponit auxilium actuale.

IX. Circa secundum punctum ratio dubitandi est, quia sicut habenti formam naturalem debetur auxilium ordinarium, et generale illi proportionatum, si quidem omni formæ debetur aliquis concursus; ita habenti formam supernaturalem debetur aliquis concursus supernaturalis; ergo saltem ad aliquem actum supernaturalem, et meritorium non indigebit homo speciali auxilio, sed debito et generali. Propter hoc fundamentum aliqui etiam ex modernis sentiunt non indigere hominem justum speciali auxilio supernaturali ad omnia opera supernaturalia, et meritoria, sed dari aliquem concursum, qui sit generalis

in illo. Et hæc sententia non est improbabilis.

X. Nihilominus oppositum est communius, et certius propter Conciliorum auctoritatem, quæ in hanc partem videntur ponderare, ut Arausicanum II, capite ultimo: « Confitemur, inquit, baptizatos quæ ad salutem pertinent posse, et debere implere, Christo tamen auxiliante, et cooperante: » et uberius Tridentinum sessione VI, cap. XVI: « Cum ipse Christus Jesus tamquam caput in membra in ipsos justificatos virtutem jugiter influat, quæ omnia bona eorum opera antecedit, comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo modo illi grata, et meritoria esse possunt, etc. » Ex quo fit argumentum: Quodecumque opus meritorium, et supernaturale indiget gratia per Christum; ergo gratia speciali. Antecedens est de fide. Consequentia probatur. Omnis gratia per Christum oritur ex meritis Christi, et ex beneficio incarnationis; ergo est dependens a tali speciali beneficio; ergo est gratia specialis. Cum igitur homo justificatus ad operandum supernaturaliter post justificationem indigeat beneficio incarnationis, et meritis Christi sibi applicatis ad obtinendum illud auxilium, consequenter illud auxilium est gratia specialis, cum detur mediante beneficio speciali.

XI. Secundo, etiam si gratia non daretur beneficio redemptionis, sed a Deo creatore sicut in statu innocentiae, adhuc auxilium supernaturale in homine justificato est indebitum ipsi homini, et consequenter speciale respectu illius, auxilium enim non datur habitui, sed habenti, id est, personæ, ut excitetur per illud ad operandum tamquam per formam supernaturalem, quod totaliter ipsi personæ est indebitum; et consequenter illud donum supernaturale simpliciter est gratuitum,

## ARTICULUS II.

*Utrum ad perseverandum usque in finem sit necessaria gratia specialis?*

I. Non agimus hic de perseverantia pro habitu sive inclinatione, vel etiam proposito perseverandi, sed de ipsa actuali executione perseverantiæ. Et potest ita actualis de perseverantia sumi dupliciter: uno modo pro continuatione longi temporis usque in finem; alio modo pro ipsa sola assecutione finis, etiam si brevissimo tempore aliquis duret in gratia. Et relinquimus tamquam certum, et extra controversiam, quod ad perseverandum longo tempore etiam ipsis justificatis necessarium est speciale auxilium, ut ex Concilio Arausicano, canone XI, retulimus, et clarius reperitur in Concilio Tridentino, sessione VI, canone XXII, dicente: « Si quis dixerit justificationem sine speciali auxilio in accepta justitia perseverare posse, anathema sit; » quod ad minus de hoc genere perseverandi per longum tempus intelligi debet. Difficultas ergo est in duobus. Primum, utrum ad perseverandum brevissimo tempore ad assequendam gloriam sit necessaria specialis gratia propter illam assecutionem; secundum, quodnam auxilium sit illud donum perseverantiæ, sive longo, sive brevi tempore perseveret.

II. Circa primum tota ratio dubitandi devolvitur ad hoc punctum, quia ille qui brevissimo tempore post acceptam gratiam moritur, solum habet duo. Primum est, acceleratio mortis, et hoc non est auxilium, quia non est concursus ad agendum, neque aliquid supernaturale, sed naturalis quædam generatio, et corruptio, unde non pertinet

et indebitum, licet secundum quid debitum sit, et ordinarium, quia respectu principii quod, est indebitum, licet respectu formæ, seu habitus, qui est principium quo, videatur debitum, et ordinarium. Esse autem debitum, vel indebitum magis judicandum est ex parte principii quod, seu personæ, quia illi donatur, habitus vero solum est id ratione cujus donatur: sicut e converso quando persona est divina ut in Christo, licet fiat gratia humanitati, non tamen dicitur fieri personæ, unde solum respectu ipsius habitus distinguitur auxilium supernaturale in ordinarium et extraordinarium, generale et speciale; respectu tamen personæ omne auxilium supernaturale speciale est.

XII. Unde patet ad rationem dubitandi. Convincit enim argumentum quod aliquod auxilium supernaturale est debitum secundum quid, et præcise, attendendo ad formam ratione cujus datur, simpliciter tamen indebitum, et speciale respectu ipsius personæ, cui principaliter donatur, et posset etiam negari postquam habet habitum gratiæ operando per alias formas naturales, et ulterius in quantum datur ex meritis Christi, et titulo redemptionis redditur specialis gratia, quia est dependens ab speciali beneficio incarnationis. Est autem diversa ratio in formis naturalibus, quia concursus connaturalis formæ etiam est debitum, et connaturalis agenti, quia forma est propria illius, et in quantum naturalis non datur titulo redemptionis, sed generali concursu Dei creatoris donatur.